

FRIDERICI GUILIELMI III

SERENISSIMI, POTENTISSIMI, CLEMENTISSIMIQUE
BORUSSORUM REGIS

SACRA NATALITIA

A GYMNASIO REGIO BREGENSI

a. d. III Non. Aug. MDCCCXXII hor. IX a. m.

SOLEMNITER CELEBRANDA

INDICIT

FRIDERICUS SCHMIEDER,


PHIL. D. GYMN. REG. RECTOR ET PROF.



BREGAE,

Typis Caroli Theoph. Wohlfahrt.

BRE
2



Cum de rebus plurimis homines inter se dissentire sciamus, mirari licet, si rem aliquam per se parvam non iis solum omnibus, quos novimus, sed magnis etiam gentibus placere et placuisse videmus. Neminem ego vidi, dum vivo, quem rosarum odoris dulcedo, tenerorum foliorum rubor, et totius floris sive cum patescere coepit, sive cum apertus foliorum copiam expandit, forma non delectasset. Ubi non sunt rosaria? quorum breve decus si praeteriit, cautum tamen est et oleo liquoreque rosarum odore, et sericis earum colore imbutis, ne oculis et naribus desit dilectum ex rosis oblectamentum. Florem hunc in Europa antiquum, cuius speciem pulcherrimam in Thracia olim progenitam ferunt, etiam gentibus antiquis fuisse in deliciis, nemo nisi antiquitatis litterarum plane rudis ignorat. Ejus laudes canebant poetae, ruborem e Veneris sanguine, cum spinis illa rosae albae inhaesisset, affuso ortum fingentes; *factam rosam Cypris de cruore deque amoris osculis* dixit auctor Pervigil. Ven. v. 24; eius nomine res dilectas appellabant Graeci, in proverbio dicentes (vid. Aristoph. Nub. v. 911.) *ῥόδα μ' εἰσηνας*, rosas mihi locutus es h. e. rosarum instar amabilia; plena rosarum erant atria Romanorum, qui roseis coronis tempora redimiti convivabantur atque in rosis strati; qui ipsi cupiebant

bant *caput in verna semper habere rosa*, et, optima quaeque precantes, amicos optabant *in aeterna vivere rosa*. Quid, quod etiam in mortuos rosas spargerent et sepulcra rosis ornarent, ne vel defuncti comite carerent per totam vitam jucundissimo?

Tanto rosarum amore flagrantes quid mirum, si in earum cultura et usu omnem modum egressi fuisse videantur? Namque etiam in rebus, quas per se nemo reprehendere potest, immodici pro ingenio suo non poterant non insanire. Amabant rosas, ut hoc primum, cum de Romanorum moribus scribere pergo, exponam, non suo tempore, sed hieme raras, hinc illinc non sine labore collectas atque aere coëmtas. „*Media hieme*, ut refert Lucianus in Nigr. c. 31. *rosis opplentur*, quas dum raras sunt et intempestivae, amant; tempestivas et a natura nullo cogente datas tamquam viles fastidiunt.“ Rara juvant; — hibernae pretium sic meruere rosae. Martial. 4, 29, 4.

Si Horat. Carm. 1, 38 morae impatiens et luxuriosum convivendi morem spernens non vult puerum *sectari, rosa quo locorum sera moretur*, sua quidem aetate rosas hibernas in deliciis fuisse, sed nondum effectum prodere videtur, ut media hieme omnis Roma esset rosarum plena. Post saeculum vero Martialis (in Xen. 124 *corona rosea*) dicere poterat:

Dat festinatas, Caesar, tibi bruma coronas;
Quondam Veris erat, nunc tua facta rosa est.

h. e. *bruma*, hiems media, qua, cum Saturnalia celebrarentur, mos erat inter amicos, xenia s. dona mutua mittendi, hiems coronas tibi, Domitiane, dat *festinatas*, rosarum praecocium. Prius erat rosa Veris decus et Veri dicata, cuius etiam statuae imaginesque coronis roseis ornabantur; nunc tua dicatur; tibi enim media hieme rosas cupienti paruit natura.

Virum

Virum doctiss. nuper, in *Sabina* T. 1. p. 253 scripsisse miror, has brumae coronas non fuisse verarum rosarum sed e cera colorata fictarum. Veras enim, plantarum hypocauftis festinatas, opinatur cariores fuisse, quam quae hieme potuissent Caesari offerri. Non recordatus erat Vir doct. alius epigrammatis lib. 6, 80, quo Martialis ex hibernarum rosarum Romae multitudine occasionem captabat, Domitianum adulandi:

Ut nova dona tibi, Caesar, Nilotica tellus
Miserat hibernas ambitiosa rosas,
Navita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Urbis ut intravit limina prima tuae.
Tantus Veris honos et odoraе gratia Florae,
Tanta Paestani gloria ruris erat.
Sic quacunque vagus gressumque oculosque ferebat,
Textilibus fertis omne rubebat iter.
At tu, Romanae iustus jam cedere brumae,
Mitte tuas menses, accipe, Nile, rosas.

Videtur imperator, si recte ex utroque hoc epigrammate conjecturam facio, inter flores potissimum rosae fuisse, licet eam non suo tempore, sed media hieme concupisceret, pro luxu eius aevi. Ille luxus paulatim et maxime imperatoris exemplo, ut fit, ita creverat, ut non solum rosas hieme florere cogerent, de quo invento paullo post dicam; sed ex propinquis etiam agris et Italia omni atque vel inde ab Aegypto ingentem vim rosarum hieme Romam adveherent. In Italia excellabant ea aetate rosae Paestanae, Tiburtinae, Tusculanae, Praenestinae, Campanae, quantum ex Mart. lib. 9, 60 videmus; quarum Praenestinam et Campanam, hanc praecocem, illam novissime desinentem, Romanos fecisse

fecisse celeberrimas, testis est Plin. H. N. 21, 4. ubi complures alias rosae species enumerat. Praenestina habetur pro ea, quam vulgo provincialem (rose de Provins) adpellant; campana est, quam *centifoliam* vocant, quae est in Campania Italiae, Graeciae vero circa Philippos, sed ibi non suae terrae proventu; Pangaeus mons in vicino fert, unde accolae transferentes conferunt ipsaque plantatione proficiunt. Campanam vero et paestanam diversas fuisse, contra atque Harduinus opinatur, vel inde palam est, quod Paestum ad Lucaniam pertinebat, et quod Martial. l. 1. diligenter eas distinxit: *seu tu Paestanis genita es — arvis, — seu modo Campani gloria ruris eras*. Ea virtus erat Paestanarum, ut bis annis singulis florent, vere et autumnis. Hinc *biferi rosaria Paesti* apud poetas, qui et odorem paestanarum prae ceteris laudant, ut Ovid. ex Pont. 2, 4, 28 *calthaque* (fort. calendula) *paestanas vincet odore rosas* h. e. fient, quae fieri non possunt; et ruborem, ut Mart. 4, 42: *pueri paestanis rubeant aemula labra rosas*. Hodie cum ipsa urbe ita interierunt eius rosaria, ut ne vestigium quidem inter columnas et parietes ruinosos reperiatur. — Ex hisce et aliis locis tanta rosarum copia Romam allata erat, ut Martialis in epigr. supra posito mercatorem aegyptium hieme rosas advehentem monere posset: malit rosas a Roma accipere, ex Aegypto frumentum advehere. Ut tibi, imperator, *nilotica tellus*, Aegyptus, ubi non tam propter coeli temperiem ut Carthagine Nova, rosa hieme tota praecox erat, quam propter regionis naturam, (nam simulac Decembri mense Nili fluctus subsederunt, statim ver floret, quod Aprili sequitur aestas) rosas hibernas miserat tamquam dona nova et tam mature numquam accepta, *ambitiosa*, laudem inde captans: derisit *nauta*, mercator aegyptius patriae suae hortos, ut Romae portas intravit. Epitheta *niloticus*, *memphiticus* a Memphi urbe, *Pharius* a Pharo insula saepe quidem obvia sunt, sed non facile sic cumulata lectorem obrunt. —

unt. — v. 5. Tantus Romae erat *Veris honos* h. e. florum, quibus *ver* ornatum esse solet, tantum vel hieme media decus, et tanta *Florae odora gratia*, florum odore jucundorum suavitas et venustas*), tanta *paestani raris gloria* s. multitudo rosarum in agro paestano pulcherrimarum et inde Romam missarum, ut *omne iter*, omnes viae, per quas ibat, in quibus circumspiciebat, fertis rosarum flore textis ruberent. Quis est, qui haec de fertis cera factis malit interpretari? — v. 9. Ergo tu, Nile, qui *jussus es, cedere brumae romanae*, cum florum multitudine, Caesare sic jubente, vel media hieme a Roma vincaris, mitte messes tuas, frumentum, ut debes; rosas accipe a nobis. Aegyptus enim Romae per singulos annos quatuor mensium annonam pendeat.

/ Plantarum hypocausta, qualia hodie ubique cernuntur, si veteres habuissent, rosae hibernae sine dubio inter res vilissimas essent numeratae. Si paullo diligentius rem exploramus, ab illis fruendis prope eos abfuisse videmus. Cum citri (quarum solum natale Assyriam fuisse et alia plura de ea arbore vide in Salmal. Exercitatt. Plin. pag. 671 seq.) ex Cilicia in Italiam essent translatae atque eius coelum aegre tolerarent, muniebant eas, ne fortiore hiemis boreaeque aura laederentur, receptaculis sive hibernaculis, quorum fenestrae lapide speculari
in

*) honorem et gratiam interdum veteres junxerunt, ut Horat. A. P. v. 68 de dignitate et venustate verborum: *mortalia facta peribunt; nedum sermonum stet honos et gratia vivax*; ubi non lego *mortalia cuncta*, cum Bentleio, sed *facta seruo*, intelligens τὰ μεγάθη, τὰς πράξεις ἐπιφανέστας. Sic dicuntur Alcidae facta in Mart. 9, 102, 3. sic Africani facta et dicta in Somn. Scip. c. 1.

in tenues crustas fisso clausae solem admittebant, pruinam nives et ventum excludebant. cf. Mart. 8, 14. Ut praecocem fructum cucumeris haberent, Columella lib. 11, 3, 52 docet, posse, si sit operae pretium, vasis maioribus rotulas subjici, quo minore labore producantur et rursus intra tecta recipiantur. „Sed nihilo minus specularibus integri debebunt, ut etiam frigoribus serenis diebus tuto producantur ad solem. Hac ratione fere toto anno Tiberio Caesari cucumis praebebatur.“ Hac etiam ratione non dubito, quin alia plura atque etiam rosae per hiemem non solum custodirentur, sed etiam festinarentur. Sed cum lapis specularis multo majoris esset pretii quam hodie sunt tabulae vitreae, ars illa non poterat nisi in hominum ditiorum hortis exerceri. Quamquam Pompeiis tessellarum s. tabularum vitrearum fragmenta reperta esse dicuntur, de usu tamen earum, cuius commemorandi in scriptoribus fere omnibus plurima erat occasio, altissimum est silentium. Tum necessariae sunt ad calorem aptum continuandum fornaces, quibus nos utimur, veteres carebant. Denique Domitiani tempore recens erat et specularium et hypocaustorum in balneis usus, quod Seneca in Epist. 90 his verbis docet: quaedam nostra demum prodisse memoria scimus: ut speculariorum usum, perlucete testa clarum transmittentium lumen; ut suspensas balneorum et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul et summa foveret aequaliter.“ Supererat, ut veteres hypocaustorum et fenestrarum s. lapide speculari s. vitro munitarum usum conjungerent in plantarum hibernaculis. Quod licet non facerent, rosarum tamen florem festinare didicerant. Pallad. lib. 3. Febr. tit. 21. „si rosam temperius habere voveris, duabus palmis ab ea in gyrum fodies [pedali circa radicem scrobe, Plin.] et aqua calida bis rigabis in die.“ Quod stomachum movebat Senecae in Epist. 122: „non vivunt contra naturam, qui hieme

concupiscunt rosam? fomentoque aquarum calentium et calorum apta mutatione bruma liliū, florem vernum, exprimunt?“

*Ufus rosae, si lectionem vulgatam in Plin. lib. 21, 4 sequimur, in coronis prope minimus est. Oleo maceratur, idque jam a Trojanis temporibus, Homero teste. (Iliad. 23, 186.) Praeterea in unguenta transit, ut diximus. (lib. 15. §. 2. pag. 680.) Per se medicas artes praebet. Emplastris atque collyriis inseritur mordaci subtilitate. Mensarum etiam deliciis minime noxia. Harduino sententia loci haec esse videtur: usus rosae in coronis prope minimus est, scil. prae ceteris eius utilitatibus; nam et oleo praeterea maceratur etc. Quod si Plinius voluisset, adverbium prope omisurus fuisse videtur. Deinde, siue minimum siue prope minimum dixerit rosarum in coronis usum, omnis antiquitas obloquitur. Olei quidem rosacei eiusque virium medicarum (Plin. 21, 18 §. 83) passim facta est mentio, sed non multa. Inter odores, quibus comam veteres amabant perfusam, rosae unguentum maxime divulgatum erat; pulcherrimum adferebatur Cyrenis, ubi rosa florebat odoratissima. Facile etiam credo, eos, qui unguenta vino admiscerent eaque biberent, per soloecismum in hoc genere voluptatum, quibus ne uti quidem scirent, rosae unguento delicias mensarum perfusas gustasse; infani pretii sorbitio, *abfortio rosaria* dicta, commemoratur in Suet. Ner. c. 27; *rosato* utebantur, h. e. vino e rosis per infusionem facto, quod qua ratione fecerint si quibus cordi est discere, adeant Apicium lib. 1. c. 4 et Plin. lib. 14. §. 19. n. 4. Etiam *patinam de rosis* habebant in deliciis, de qua vid. Apic. l. 4. c. 2. et sine dubio alia eius generis. Commemorantur haec passim sed non ita, ut in iis rosae usum fuisse maximum credere possis. Quare ego in Plinii loco supra descripto aliam lectionem, quamquam in libris scriptis non videtur esse reperta, contemnere nolim: rosae usus in coronis prope nimius est. Hoc enim verissimum est et innumeris veterum*

testimoniis confirmatur.*) Nec obstat ratio grammatica. Postquam Plinius maximum rosae usum in coronis esse praemisit, etiam oleum et unguentum e rosis fieri addit.

Non solis vero diebus festis veteres et aedes privatas et deorum templa, statuas arasque fertis ornabant, atque Bacchi, Musarum et praecipue Veneris, cui rosa erat sacra, tum Cupidinis eiusque comitum et Veris corollas e rosis fere nectebant, sed cum privatim etiam convivarentur, non facile accumbebant, nisi tempora coronis cincti iisque potissimum roseis. *Non desunt epulis rosae*, praecipit Horatius. Qui mos diu est, quod obsolevit; veteribus erat et antiquissimus et frequentissimus. Cum enim biberent, non ut mero se impleant, sed ut inter jocos aliquas horas hilariter transigerent, *verecundum Bacchum* amantes: rosarum coronis utebantur, ut et odore et vi sua leniter refrigerandi potatorum, quibus caput gravaretur, dolores mitigarent et reprimerent. Erant quidem (Lucian. Nigr. c. 32.) qui coronatos reprehenderent, quod nescirent, qui locus coronis esset aptus. Nam si odore violarum rosarumque delectentur, sub naribus potissimum eas collocandas esse, sub ipsum, quam proxime fieri possit, spiraculum, ut quam plurimum voluptatis inde attrahatur. Sed hoc si vulgo factum esset, saepius etiam medici de coronis scripsissent, quae nocerent capiti. cf. Plin. lib. 21. §. 9. Graeci vero habebant coronas, quas collo circumdarent, *ὑποθυμαίδας*. Utebantur iisdem, qui Romani in deliciis maxime luxuriosi essent, ex c. Verres, qui amplius etiam faciebat. „Cum rosam viderat, tum incipere ver arbitrabatur; dabat se labori atque itineribus, in quibus usque eo se praebebat patientem atque impigrum, ut eum nemo unquam in equo sedentem videret. Nam ut mos fuit Bithyniae regionibus, lectica octophoro ferebatur, in qua pulvinus erat perlucidus Melitenensis (e lino melitenensi factus) *rosa factus*, ipse autem coronam habebat, *unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares sibi admovebat*, tenuissimo lino, minutis maculis, *plenum rosae*., Cicer. Verr. lib. v. c. 11.

Rosarum vero simpliciter nexarum cum tantus esset ubique usus, ut merito diceret auctor carminis inter anacreontea LIII: *τί δ' ἄνευ πόδῃς γένοιτ' ἄν*; accessit etiam novum in earum usu inventum. Cum coronae plurimae essent *pectiles* (plectiles, textiles) h. e. e floribus foliisque textae, aliae vero *sutiles*, e floribus et foliis confutae, atque iam e solis rosis coronae fierent, *eo luxuria processit, ut non esset gratia nisi mero folio*

*) cfatur Car. Paschali Coronae, opus x libris distinctum.

folio sutilibus, ut Plinius loquitur. Rosarum enim floris folia decerpta squamatum in philyra, tiliae libro s. tunica interiore consuebantur, scilicet ne capita vino gravia etiam integrarum rosarum pondere premerentur.

Praeter coronas, cum epularentur, humi et in mensa rosae erant sparsae, atque in pulvillis rosa fartis accumbebant convivae; hinc Seneca: in rosa, in odoribus jacere. Praeterea non potest dubitari, quin multis aliis occasionibus rosa uterentur, quae nobis non facile in mentem venirent, nisi passim aliquo loco in libro antiquo monitis. Ex c. ex Seneca Ep. 51 sub fin. videmus non raro factum esse, ut Bajis, vitiorum diversorio, ubi plurimum sibi luxuria permittebat, in lacu Lucrino rosarum pleno navigarent. Verba sunt: „Habitaturum tu putas unquam fuisse in ripa*) Catonem, ut praeternavigantes adulteras dinumeraret, et adspiceret tot genera cymbarum variis coloribus picta, et *fluitantem toto lacu rosam*, ut audiret canentium nocturna convicia?“

Ex tanto rosarum apud veteres honore opinabantur viri quidam docti, proverbium hodie pervulgatum: „haec sint sub rosa dicta“ explicari posse, tamquam ex antiquitate ad nos transierit. Exstant enim versus aliquot incertae aetatis in marmore reperti:

Est rosa flos Veneris, cuius quo furta laterent,
Harpocrati matris dona dicavit Amor.
Inde rosam mensis hospes suspendit amicis,
Convivae ut sub ea dicta tacenda sciant.

Quorum verborum auctorem et morem e lacunari in coenaculis rosam suspendendi et proverbium illud jocosè voluisse explicare videmus. Sed nec mos ille, nec proverbium fuit antiquum. Cf. Wernsdorf Poet. lat. min T. VI. pars 1. p. 181.

*) in ripa lego s. in ulva, quod propius accedit ad litterarum ductum in vulgata, quae est in Utica. Intellige villam in ripa et media ulva conditam, cui opponuntur villae in summis montium jugis.

Das Geburtsfest Sr. Majestät des Königs wird von dem Königl. Gymnasio Sonnabends den 3ten Aug. früh um 9 Uhr im Examensale durch einen Redeactus der ersten Classe in folgender Ordnung gefeiert werden.

Musik und Gesang.

- Ferd. Gotth. Langes, aus Brieg, bewillkommnet den festlichen Tag, und spricht dann über das Glück eines religiös-gesinnten Volkes.
Heinr. Jul. Kattner, aus Barottwitz bei Breslau, trägt A. W. Schlegels Gedicht: der Bund der Kirche mit den Künsten, vor.
Ed. Conr. Olawsky, aus Brieg, beantwortet die Frage: wie soll sich die Jugend dem Vaterlande dankbar zeigen?

G e s a n g.

- L. Freund, aus Brieg, spricht über das Andenken an grosse Männer.
Gust. Erdm. Schott, aus Creuzburg, trägt Schubarts Hymnus auf Friedrich den Grossen vor, und
Gust. Leopold von Ohlen, aus Leobschütz, die Entzückung des las Casas, von Engel.
Carl Friedr. Gottf. Lessing, aus Namslau, zeigt, was Schlesien so wohl im allgemeinen als besonders in Rücksicht auf die Cultur der Wissenschaften der Vereinigung mit Preussen zu danken habe.

Musik und Gesang beschliesst die Feierlichkeit.

Die Gönner und Freunde des Königl. Gymnasii lade ich hierdurch ehrerbietig ein, das Fest desselben durch ihre Gegenwart zu erhöhen.
Brieg, den 2ten Aug. 1822.

Dr. Friedrich Schmieder.

Das Geburt
Gymnasio Sonna
durch einen Rec
werden.

Ferd. Gottl. Lang
dann über das
Heinr. Jul. Kattne
der Bund der
Ed. Conr. Olaus
dem Vaterlande

L. Freund, aus
Gust. Erdm. Scho
Grossen vor,
Gust. Leopold von
Engel.
Carl Friedr. Gottf.
gemeinen als b
einigung mit P

Musik u

Die Gönner un
das Fest desselben
Brieg, den 20


ird von dem Königl.
Uhr im Examensale
der Ordnung gefeiert

lichen Tag, und spricht
A. W. Schlegels Gedicht:
wie soll sich die Jugend

rosse Männer.
ymnus auf Friedrich den
kung des las Casas, von
Schlesien so wohl im all
r Wissenschaften der Ver
Feierlichkeit.

hierdurch ehrerbietig ein,

ch Schmieder.



© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN Color Control Patches

Inches

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black